



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 22. An igitur sponsalibus, adjici possit pactum expressum à contrahentibus, ut resiliens injustè compenset damnum emergens ex tali recessu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



principali, nempe obligatione ad pœnam, corruere etiam debet accessorium, juxta *reg. accessorium. de reg. jur. in 6.*, nempe appositio pignoris in securitatem pœnæ) possunt tamen apponi pro securitate arrharum non tantum, sed & pro interesse, quod amittere potest innocens, vel pro damno ei illato ex fide ei violata; cum enim contrahentes sponsalia obligari possint ad solvendum non tantum arrhas promissas, sed & ad interesse & damnum, si quod ex violatione sponsalium emergat, pro majore certitudine apponi possunt & pignora, non secus ac fidejussores; cum id nullo jure prohibeatur. Castrop. *l. c. n. 3.* quin & ipsæ arrhæ expressè tradi possunt tanquam pignus pro securitate futuri matrimonii, ita ut eas amittat tradens, si culpâ suâ non sequatur matrimonium; eo autem secuto redeant ad tradentem. Sanch. *L. 1. d. 36. à n. 2.* juxta *L. 2. c. de spons.* ubi: *arrhas sponsaliorum nomine datas defuncto dante jubemus restitui, nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, persona defuncta præbuit.*

*Quæst. 22. An igitur sponsalibus adjici possit pactum expressum à contrahentibus, ut resiliens injustè compenset damnum emergens ex tali recessu.*

**R** Esp. Possè in pactum deduci compensationem damni emergentis innocenti ex tali recessu; non verò lucri exinde eidem cessantis. Castrop. *l. c. d. 1. p. 9. n. 10.* Sanch. *L. 1. d. 30. n. 15.* Gutt. *de mat. c. 17. n. 14.* contra alios putantes posse venire in pactum compensationem, & damni emergentis & lucri cessantis, item contra alios putantes, neque compensationem damni emergentis, neque lucri cessantis posse venire pactum. Ratio primæ partis responsionis est, quòd resiliens injustè committat injuriam & injustitiam adversus innocentem, adeoque damnum inde proveniens innocenti (quale v. g. esset, si impensas aliquas in sponsalibus contrahendis fecisset, vel ob eam causam alia sponsalia, non leviter sibi utilia amisisset) tenetur compensare, etiam seclusa omni pactatione, ergo hoc damnum reparandum deduci poterit in pactum; quia non ex pacto, sed ex injustitia violatæ fidei debetur. Jus autem positivum irritat compensationem aliàs indebitam; non verò jure naturæ debitam; ita Castrop. contra quod nihil dici potest, quàm quòd hac ratione pactatio illa videatur superflua. Ratio partis alterius est, quòd ad lucrum cessans innocenti ex eo v. g. quòd sponsus resiliens sit ditissimus; neque alius æquè dives haberi possit, innocens non habeat jus, nisi post contractum matrimonium; adeoque si contrahentes se mutuo obligare possunt ad tale lucrum compensandum, obligarentur ad solvendam pœnam aliàs indebitam, quæ obligatio à jure positivo annullatur juxta paulò post dicenda.

*Quæst. 23. An sponsalibus adjici possit pactum pœnæ solvenda à resiliente.*

**R** Esp. Primo in genere: Pœna (intellige, propriè dicta, id est, quæ ex propria pecuniæ, patrimonii vel bonorum diminutione est persolvenda; non verò ea, quæ consistit in acquirendo lucro aliquo, de hac enim agitur *quæst. seq.*) non potest venire in tale pactum; quia tale pactum prohibetur & annihilatur in *c. gemma mulier. h. t.* ubi Pontifex urgentem istiusmodi pœ-

næ solutionem jubet etiam per censuras compelli ad desistendum urgere, motus ex eo, quòd matrimonia debeant esse libera. Item à jure civili in *L. fin. de sponsal.* ubi: *si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit; cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat;* & *L. Titia. ff. de V. S.* ubi dicitur, talis stipulatio esse contra bonos mores, & inhonestum videri vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive contracta.

2. Extenditur responsio primò ita, ut hanc prohibitionem & irrationem non impediatur, quòd pœna appositæ sit levis; quia jura indistinctè prohibent pœnam apponi in sponsalibus, & qualibet pœna, etiam minima, ex se diminuit libertatem requisitam ad matrimonium; & quòd, si in aliquo casu ea libertas non minuatur, id sit per accidens, quod jura non attendunt, sed ea, quæ frequenter contingunt, spectant Castrop. *l. c. num. 1.* Sanch. *cit. d. 30. n. 11.* Gutt. *l. c. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 22.* cum Abb. in *c. gemma. n. 8.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 5.*

3. Extenditur secundo; ut irrita quoque sit cujuslibet pœnæ appositio facta à sponsorum cognatis amicis, tutoribus, nisi matrimonium sequatur; eò quòd horum damnum sit etiam damnum sponsorum, eòque movere potest ad contrahendum matrimonium. Castrop. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 2.* Gutt. *n. 2.* secus esset, si inter extraneos motu proprio, & non ex mandato sponsorum, vel eorundem parentum pœna appositæ esset. AA. iidem.

4. Extenditur tertio ita, ut, etiamsi adjiciatur juramentum de pœna sponsalibus appositæ solvenda, illud non tantum promissionem illam solvendi dictam pœnam non firmet, sed etiam non sit obligatorium; ita tenet Castrop. *l. c. n. 6.* Sanch. *L. 1. d. 32. n. 21.* Gutt. *c. 17. n. 21.* Poncius *L. 12. c. 19. n. 7.* contra Molin. *de just. Tom. 2. v. 2. d. 151.* Lessium *L. 2. c. 17. du. 7. n. 56.* sentientes juramentum illud obligare, etsi promissionem illam solvendi pœnam non firmet; eò quòd etsi promissio illa, utpote prohibita sit peccatum; solutio tamen ipsa prohibita non sit; item contra Cóninck. *d. 22. du. 5. n. 25.* & alios citatos à Sanch. censentes juramentum illud non tantum obligare ad solutionem, sed etiam firmare promissionem illam solvendi. Verum ratio extensionis, quò ad primam partem est, quòd ad firmandum contractum aliàs nullum & prohibitum necesse est à jure sic disponente illius vitium purgari; quia juramentum de non retractando contractu nullo & prohibito iniquum est, nisi jus ipsum in casu accedentis juramenti tollat nullitatem & prohibitionem; sed nullibi stante tali juramento invenitur à jure sublata prohibitio & nullitas talis promissionis de solvenda illa pœna appositæ sponsalibus; ergo juramentum illam promissionem firmare nequit. Ratio extensionis, quò ad secundam partem, nimirum quòd juramentum illud non sit obligatorium, est, quòd jus interdictis promissionem pœnæ adjici sponsalibus non tam interdicat promissionem, quam solutionem faciendam; quia non tam promissio, quam solutio adimit libertatem matrimonii; ergo juramentum est de re prohibita & illicita, adeoque obligare nequit; ita ferè Castrop. qui etiam exinde confirmat extensionem, & fundamenta contrariæ opinionis diluit, quòd solutio pœnæ, etsi per se mala non sit; quatenus tamen in sponsalibus promissa est, iniqua est ejus solutio, utpote iniquæ promissionis appro-

batio;